



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Cultu Sacrosancti Cordis Dei Ac Domini Nostri Jesu Christi

Galliffet, Joseph de

Romae, M.DCCXXVI.

Edicta plurimorum Episcoporum circa Cultum SS. Cordis Jesu debitum, &
institutionem festi ad honorem ejusdem SS. Cordis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45817)

E D I C T A

Plurimorum Episcoporum circa cultum Cordi Jesu debitum, & Institutionem festi ad honorem ejusdem Sanctissimi Cordis.

EPISCOPUS CONSTANTIENSIS
In Normannia, anno 1688.

Carolus Franciscus de Lomenie de Brienne Episcopus Constantiensis.

QUUM acceperimus Presbyteros Seminarii nostri impetrasse a felicis recordationis Clemente X. summo Pontifice Bullam Apostolicam pro instituenda pia societate personarum utriusque sexus in Templo dicti Seminarii sub invocatione sacri CORDIS JESU ET MARIÆ, in cujus cultum sodales fidem suam obligabunt ad bona opera quæ ad gloriam Dei, & salutem animarum spectare possunt: lecta & inspecta Bulla hujusmodi, quam reperimus auctoritate firma comprobata, & indulgentiis ac benedictionibus plenam; sodalitatem Nos ipsi instituimus sub invocatione SACRI CORDIS JESU ET MARIÆ. Statuta illius approbavimus; & volumus ut seminarii Presbyteris liceret in memoratam sodalitatem cooptare quoscumque dignos existimabunt. Et quibus diebus celebrari solet festum SACRI CORDIS JESU ET MARIÆ, hoc Festum cum octava agere. Volumus autem in sodalium numerum ipsi ante omnes ac pri-

R r 2 mo

132 DE CULTU SACROSANCTI
mo loco aggregari: omnesque & singulos hortati fu-
mus, ut pari beneficio gauderent: & sacro illi CORDI
eum cultum redderent, quem ejus dignitas & excel-
lencia postulant. Datum Constantiis castris, in pala-
tio nostro Episcopali. Die 25. Jan. 1688. CAROLUS
FRANCISCUS Episcopus Constantiensis.

ARCHIEPISCOPUS VESONTINUS
Anno 1694.

Missam propriam pro festo Cordis Jesu Missali
Dioecesis proprio, inserendam decrevit.

*Missae de SACRATISSIMO CORDE JESU
CHRISTI feria sexta post octavam Corporis Christi.*

Introitus. Gaudeamus omnes in Domino diem
festum celebrantes sub honore sacratissimi Cordis
Jesu, &c.

Petrus Franciscus Hugon Presbyter sacrae Theo-
logiae Doctor, Ecclesiae Metropolitanae Bifuntinae
Canonicus, & Serenissimi Principis Honorati Francisci
de Grimaldi ex Principibus Monachi Archiepiscopi Bi-
funtini, & sacri Romani Imperii Principis, &c. in
temporalibus & spiritualibus Vicarius Generalis, Fi-
dem facimus, & testamur, Missam de SACRATISSIMO
CORDE JESU CHRISTI supra scriptam, de verbo ad ver-
bum desumptam fuisse ex Missali Bifuntino, ab Illu-
strissimo & Reverendissimo DD. felicitis memoriae
Antonio Petro de Grammont Archiepiscopo Bifun-
tino, anno 1694. edito. Praeterea testamur, praedi-
ctam Missam juxta ritum Bifuntinum, cultumque
er-

erga sacratissimum Cor Jesu Christi, in hac Diœcesi cum maxima religione ad animarum spirituale incrementum proficere, præcipue in feriâ sexta post octavam Corporis Christi specialiter ipsi assignata; cuique festo in nonnullis locis Indulgentiæ plenariæ a Summis Pontificibus concessæ sunt, societatesque & Confraternitates erectæ. Quibus auxiliis Christi Fideles ad hoc tandem deducantur, ut jam in semet ipsis sentire possint, quod & in Christo Jesu. In quorum fidem præsentem dedimus manu nostra scriptas, & subsignatas, sigilloque Officii nostri munitas. Bisuntii 14. Aprilis. Anno millesimo septingentesimo vigesimo quinto.

P. F. HUGON Vicarius generalis.

ARCHIEPISCOP. LUGDUNENSIS

Galliæ Primas. anno 1718.

Franciscus Paulus de Villeroy de Newville Archiepiscopus Lugdunensis, &c.

Post exordium luculentum de divitiis inæstimabilibus quæ in persona Christi latent; & de obligatione Pastorum deducendi Fideles in cognitionem tam salutarem, descendit ad sanctitatem Cordis Jesu. Tum sic prosequitur... Adjumento vobis erit SACROSANCTI ILLIUS CORDIS FESTUM, quale jam celebratur in pluribus Diœcesibus, & Indulgentiis Summorum Pontificum decoratur. Finem ego, modum, spiritum hujus festi examinavi diligentissime, quæ omnia veræ

Rr 3 pie-

pietati congruere sunt comperta. Quandoquidem non aliud intenditur quam cultus particularis, Adorationis, Amoris, Laudis & Gratiarum actionis exhibitus Cordi Jesu, tamquam Throno amoris erga Deum & homines. Quoniam vero in Eucharistia maxime patet amor ille, atque in eodem mysterio sæpius ab hominibus contumeliis afficitur, præcipuus finis hujus cultus est satisfacere, quantum fieri potest, de injuriis divino huic Cordi illatis, ab ingratis hominibus. Gratium autem Deo esse hujusmodi cultum tot signis innotuit, ut creditam mihi a Deo auctoritatem & ministerium adhibere operæ pretium putaverim, ad fovendum, quantum in me est, & augendum eundem cultum.

Quocirca auditis Decano, Canonicis, ac Capitulo Ecclesiæ Comitum Lugdunensis, statui & volui, ut deinceps in perpetuum ab anno proximo 1719. feria sexta post octavam Corporis Christi celebretur per totam Dicecesim FESTUM SACRI CORDIS JESU, cum cessatione laborum in omni Monasterio, cum obligatione Fidelibus omnibus imposita divinis assistendi, cum facultate omnibus Monasteriis concessa divinam Hostiam eo die publice in Ecclesiis suis adorandam proponendi, cum concessu Indulgentiæ 40. dierum omnibus utriusque sexus Fidelibus, qui confessi, & sacra Eucharistia resecti, aliquam e memoratis Ecclesiis visitabunt.

Habitate, Fratres dilectissimi, in Corde Jesu, memores quod monet Augustinus, per vulnera carnis pa-

patere arcana Cordis. Ingremini vulnus Lateris, unde ad Cor ipsum dabitur aditus, ubi, teste & experto Bernardo, protegimur, pascimur, refrigeramur, quiescimus. Datum Lugduni. 3. Decembris. 1718.

Idem Archiepiscopus anno 1721. statuit & iussit idem festum celebrari cum cessatione laborum in tota Dicecesi. Voluit insuper ut in omnibus Ecclesiis, Metropoli, Collegiatis, Parochialibus, & Monasteriorum totius Dicecesis, sanctissimum Sacramentum eo die publice adorandum proponeretur; cum aliis concessionibus, & hortationibus ut supra.

EJUSDEM ARCHIEPISCOPI
Lugdunensis.

Facultas celebrandi festi SS. Cordis Mariæ in Ecclesia majoris Nosocomii, ubi Confraternitas ad cultum perpetuum B. M. V. adhibendum, constituta est.

Franciscus Paulus de Neuville de Villeroy, &c.

Viso libello supplici nobis ex parte Confratrum porrecto, iisdem facultatem concedimus celebrandi quotannis festum SS. Cordis Mariæ. Die 8. Febr. &c. Datum Lugduni 9. Julii 1716.

EPISCOPUS MASSILIENSIS

22. Oct. anno 1720.

*Henricus Franciscus Xaverius de Belfunce de Castel-
moron Episcopus Massiliensis, &c.*

Post eloquentem ac patheticam narrationem ma-
lorum, famam superantium, quibus Civitas flo-
rentissima ex gravissima ac diuturna pestilentia affli-
cta ac prostrata est, tantæ calamitati remedium ali-
quod quærens Illustrissimus ac Reverendissimus Epi-
scopus ad Cor̄ divinissimum Jesu confugit...

Eas ob causas ut justam Dei iracundiam mitige-
mus, modumque afferamus metuendæ cladi quæ gre-
gem Nobis semper charissimum depopulatur, impe-
ravimus, & imperamus in universa Dicecesi nostra
diem festum in honorem SACROSANCTI COR-
DIS JESU. Quod festum deinceps celebrabitur
quotannis feria sexta proxime sequenti octavam san-
ctissimi Sacramenti. Quo die, jam in aliis quibusdam
hujusce regni Dicecesibus idem festum observatur.
Datum Massiliæ die 22. Octob. 1720.

Postea vero prima die Nov. ejusdem anni promulga-
to isto Pastoralis mandato, Civitas Massiliensis ac Dice-
cesis universa SACRATISSIMO CORDI JESU publice fue-
re consecrata, tanta cum religione & pompa, ut nihil
splendidius solemniusve desiderari potuerit. Ex quo
tempore ipso Prælato in aliis Mandatis attestante,
pestis ita manifeste imminui cœpit, nemo ut non
crediderit quo die Massilia Cordi Jesu devota fuit,

eodemque pariter die, illam malis suis defunctam fuisse.

CIVITATIS MASSILIENSIS
Deliberatio.

De Voto publico circa celebrationem festi CORDIS
JESU.

Hac die. 28. Maji. 1722. Nos Joan. Petrus Mouftiés, Baltazar Dieudé, Pet. Remuzat, & Joan. Bapt. Saint Michel, Consules Civitatis Massiliensis, &c.

QUUM convenissemus in civilis Consilii Basili-
cam, præfente domino Marchione de Pilles Re-
gio Provinciæ Præfecto, & Urbis Gubernato-
re, post lectas litteras a Domino Episcopo ad nos da-
tas, unanimi consensu statuimus, votum Deo nuncupa-
re stabile & irrevocabile in manibus Domini Episcopi,
quo nos, nostrosque successores in perpetuum obstrin-
geremus, singulis annis qua die celebratur FESTUM
SACRI CORDIS JESU, interfuturos Missæ fa-
crificio in Templo primi Monasterii a Visitatione dicti,
ibidem sanctissima Eucharistiæ mysteria percepturos,
& in expiationem criminum in dicta Urbe patratorum
oblaturus Cereum 4. librarum pondere, qui ea die ar-
deret coram augustissimo Sacramento. Tum rogatu-
ros D. Episcopum, ut solemnem omnium ordinum
supplicationem decerneret in perpetuum ejusdem diei
vespertinis horis, ad quam ipsi accedere teneremur.
Actum Massiliæ die & anno supradictis.

Sf

Vo-

Votum ejusmodi ritu solemniter nuncupatum est in Ecclesia Cathedrali, & memorata supplicatio decreta est, ut habetur ex actis 4. Junii 1722. ubi Illustriss. Episcopus ipse sic loquitur. Quum anno 1720. & festo die omnium Sanctorum, Civitatem hanc cum tota Diocesi SACRO CORDI JESU consecrassem, indeque promptum & mirabile solatium contra grassantem luem experti essemus: Hodie 4. Junii & festo SS. Sacramenti adfuerunt in Ecclesia Cathedrali DD. Petrus Moustiés, Balthazar Dieudé, Petrus Remuzat, & Joannes Baptista S. Michel, Consules Urbis Massiliensis, coram me præ manibus SS. Sacramentum habente ad solemnem supplicationem, & prostrati votum superius memoratum nuncuparunt: quod ego ratum habui, ut deinceps in perpetuum juxta formam suam persolvatur. Tum de consensu præpositi Canonorum, & Capituli Ecclesiæ Cathedralis decrevi, & statui in perpetuum solemnem omnium ordinum supplicationem singulis annis agendam die festo SACRI CORDIS JESU. Subscripserunt *Mousties* Consul. *Dieude* Consul. *Remuzat*, Consul. *S. Michel* Consul. HENRICUS, Episcopus Massiliensis. *Foresta Colongue*, Præpositus. *Decaux*, Officialis & Canonicus. *Vintimille*, Canonicus & Vicarius Gener. *Bernard*. Canon. *Vacon*, Canon. *Capus* Canon. *Coudorneau* Presb. & Secret.

EPISCOPUS TELONENSIS

13. Maji anno 1721.

*Ludovicus Petrus de la Tour du Pin de Montauban,
Episcopus Telonensis.*

Post opportunam præfationem de malis a graffante pestilentia profectis hæc habet... Ad sacratissimum Cor Jesu adeamus... tanquam ad tutissimum perfugium, in quo tot malorum quibus premimur reperiemus levamentum... huic ergo divinissimo Cordi supplices accedimus, illique devovemus & consecramus in perpetuum hanc Urbem, totamque hanc Diocesim. Quas ob causas volumus & jubemus, ut in omni hacce Diœcesi, singulo quoque anno, FESTUM SACRATISSIMI CORDIS DEI JESU celebretur feria sexta immediate sequenti octavam festi Corporis Christi: qua die sanctissimum Sacramentum in omnibus Templis hujusce Diœceseos venerandum proponatur. Datum Telone, trigesima Maji. 1721.

Vix in vulgus emissum erat Pastorale Mandatum, quum pestilentia, & Telone, & in universa Diœcesi pæne evanuit; adeo ut nemo non confessus fuerit, divinitus plane accidisse, ut tam atrox tamque tenax lues ita subito sine recidiva cessarit.

CAPITULI ECCLESIAE

Metropolitanæ Aquifextanæ Votum perpetuum ab Illustrissimo ac Reverendissimo Archiepiscopo approbatum, de celebratione festi Cordis Jesu.

2. Julii 1721 Congregatis Præposito, Administratore, & Canonicis.

DOminus de Piolenc Administrator significavit videri sibi æquum, ut, juxta majorum consuetudinem, in pari temporum iniquitate, & sequuta tot malorum liberatione, perpetuo quodam actu Religionis Capitulum Deo se gratum redderet pro depulsione pestis ab hac Civitate, post menses decem, per quos Capitulum cum suis Clericis, in re divina horisque Canonicis assidue recitandis non impeditum est. Rem itaque Capituli Religione dignam facturos, si approbante D. Archiepiscopo quot annis in hoc templo celebrent FESTUM SACRI CORDIS JESU. Quum enim hujusmodi cultus jamdiu inclaruerit, & in multis Ecclesiis solemniter agatur feria sexta post octavam Corporis Christi, approbantibus summis Pontificibus multiplici Brevi Indulgentiarum, accedente multorum Episcoporum autoritate; ac in maxima Regni hujus Diœceseos parte sit celebris, summeque gratus fidelibus, videtur is esse quem Deus calamitosiis his temporibus promoveri & confirmari velit; quum Episcopi ad arcendam luem quæ grassabatur, cum summa fiducia decreverint & statuerint unusquisque in sua

Diœ-

Dioecesi celebrari FESTUM SACRI CORDIS JESU. Quoniam vero D. Archiepiscopus noster inter pias alias exercitationes, ad quas grassante lue hortatus est, voluit in primis ut ad sacrum Cor Jesu haberetur perfugium, credendum est festi hujus institutionem, non parum collaturam esse ad promovendum Dei gloriam; D. Archiepiscopo fore acceptissimam; fidelibus ad pietatem incitamentum, & toti Ecclesiae nostrae caelestium munerum fontem. Quibus auditis unanimi consensu deliberatum, statutumque est, approbante Archiepiscopo, FESTUM SACRI CORDIS JESU in hac Ecclesia post octavam Corporis Christi prima die, ex voto perpetuo celebrare. Qua die solemne sacrum faciet unus e DD. Canonicis; & sanctissimum Sacramentum publice adorandum proponetur, uti infra octavam Corporis Domini. Sed quia destinata huic festo dies jam praeteriit, hoc anno celebrabitur qua die solemnis omnium ordinum gratulatio divino Numini decerneretur pro fine contagii, & societatis ac commercii restitutione. Subscripserunt *Juliac* Praepositus. *Fourbin.* *Labarben.* *Lauthier.* *Villeneuve.* *Piolenc* Administ. *Reynaud* Secret. *Regusse* Canon.

De his monitus Archiepiscopus, rogatusque per Capituli Legatos approbationem.

Nos, inquit, Carolus Gaspar du Luc Archiepiscopus Aquisextanus, audita lectione memoratae deliberationis, hanc approbavimus & confirmavimus. Itaque statuimus, ac sancimus, ut FESTUM SA-

142 DE CULTU SACROSANCTI

CRI CORDIS JESU celebretur in perpetuum, in Ecclesia nostra Metropolitana, feria sexta post octavam Corporis Christi, & divina Hostia publice adoranda proponatur, ut fit infra octavam Corporis Christi. Hac vero prima vice celebretur festum, qua die fiet per Urbem sollemnis omnium ordinum gratulatio pro dato pestilentiae fine. CAROLUS, *Archiepiscopus Aquensis.*

ARCHIEPISCOPUS ARELATENSIS

14. Julii anno 1721.

Jacobus de Fourbin de Janson, Archiepiscopus Arelatensis.

PRæsenti Civitatis calamitate, pari eloquentia ac pietate Decreto suo exposita, aliorum Prælatorum exemplum secutus, dejectos civium animos ad fiduciam excitans.

Confugiamus, inquit, ad Christi vulnera, & sponsam cant. imitati, in has petrae scissuras semper apertas oculamus nos... Quem ob finem, ut fiduciam nostram excitemus, ut tutum asylum certumque malis nostris remedium invenire possimus, FESTUM SS. CORDIS JESU in Dicecesi nostra instituendum duximus, ac instituimus. Quod deinceps celebrabitur tempore ac modo, a Nobis post liberationem nostram assignandis, &c. Datum Arelate. 14. Julii. 1721.

CI-

CIVITATIS AVENIONENSIS

Votum perpetuum, anno 1722.

Die 4. Novemb. festo S. Caroli Borromei dicata.

AD iram divinam placandam, & grassanti pestilentiaæ sævissimum flagellum avertendum, Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Archiepiscopus publicam decrevit supplicationem, cui ipse interfuit nigra veste indutus & stola violacea, e collo pendente fune, & Crucem portans ab Ecclesia Metropolitana usque ad portam Templi dicti a Visitatione. Hic concionem habuit præsertim de cultu sacri Cordis Jesu, & fiducia in eo reponenda: qua finita concione, D. Assessor nomine Magistratum, & totius Civitatis, ad pedes Archiepiscopi votum vovit, ut sequitur.

Vovemus Deo omnipotenti & æterno, coram gloriosa Virgine Maria, Angelis, & Sanctis curiæ cœlestis, & tibi, Illust. ac Reverend. Præful; ac promittimus adituros nos quotannis, qua die tibi placuerit, Templum a te designatum; ibidem adfuturos sacro, & oblaturus Cereum decem librarum pondere, ut novo & solemniori hoc cultu, nobis, civibusque, divinæ benignitatis beneficia, quorum fons est **COR JESU** conciliemus. Rogamus insuper Præful Ill. ut festum jubeas agi diem, quem voto persolvendo designabis: atque in monumentum æternum extet concessionis tuæ actus publicus. Archiepiscopus autem locum,

VO-

voti persolvendi, in perpetuum assignavit Templum Monasterii a Visitatione. Diem vero, feriam sextam infra octavam Corporis Christi.

EPISCOPUS CARPENTORACTENSIS

Franciscus Maria Abbaty, Episcopus Carpentoractensis.

IS, edicto suo, ad præcavenda mala ex contagione civitati impendentia, promulgato, (quo, haud scio, an aliquid in eo genere prudentius ac utilius prodierit) dum media ad avertendam divinam iram commemorat.

In primis, inquit, hortamur civitatum pagorumque nostræ Dioeceseos Consules, ut iis, quorum interest, in consilium adhibitis, vota SACRATISSIMO CORDI DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI faciant: Quod nimirum refugium universale Christianorum esse debet; quodque specialiter colitur postridie octavæ Corporis Christi. Datum Carpentoracti die 17. Nov. 1721.